

Henckel,

Nervi
antici

1738



DE
NONNVLLIS SINGVLARIBVS
CIRCA NERVOS OPTICOS

EPISTOLA

QVA

DOMINO

JOHANNI HENRICO KESSELRING

CVM

IN CELEBERRIMA VNUERSITATE HALLENSI

PRO DOCTORIS GRADV

DISPVTARET

NOVOS HONORES GRATVLATVR

AMICVS EIVS ET CONTERRANEVS

JOACHIMVS FRIDERICVS HENCKEL.

IMPR. HALAE MDCCXXXVIII.



AMICE HONORATISSIME.

Lætitia verè magna est, quando conterraneum in locis
à patria valde remotis obviam habere accidit; verum
ea major adhuc est, quando cum illo amicitiam colere
& tempus hac ratione jucunde atque utiliter simul colloca-
re licet. AMICE, hæc tibi dicta sunt, te enim alloquor. Tu
eras conterraneus iste, cuius præsentia hic loci statim læti-
tiam mihi excitabat, quæque sueta fuit in dies, postquam fi-
deli amicitia invicem necebat arctius & utiliter infer-
viebamus reciproce, communicando ea, quæ minus vulga-
ria à Præceptoribus nostris partim diversis hic acceperamus.
Verum quæ tristis narrabas! cum nos mox sejunctum iri per
tuum discessum & redditum in patriam ex te perceperissem,
Quod cum mihi impossible esset impedire, latet tamen te
annuisse & voluisse, ut per literas in absentia amicitia no-
stra continuaretur atque nos eminus colloqueremur, sicuti
hic coram incepseramus. Adhæc igitur quoque obligatus
in præsenciarum hujus commercii literarii initium facio &
singularia quædam de nervis opticis jam tibi transscribenda
feligo. Nempe Ingeniosissimus atque Doctissimus Vir D.N.
D. FERREIN, Præceptor meus Honoratissimus occasionem
dedit, cum horum anatomiarę doceret, materiam hanc se-
cundum plures circumstantias, quas Autores specialiter
non persecuti sunt in scriptis suis, considerandi, quoniam
illa ad accuratiorem pathologiam consequendam perutilis
mihi visa fuit. Scilicet nos observamus in corpore huma-
no, quod nervorum firmitas proportionata sit longitudini
illorum, præsertim quod attinet nervos sensorios, qui ad or-
ganum auditus, visus & odoratus abeunt, sic ut nervi sint mol-
liores, qui non per longum spatium decurrunt & è contra-
rio firmiores, qui longius in corpus extenduntur. Quo-
niam horum omnium expositio uberior nimis longa foret,
in præsentibus literis unicè nervos opticos persequar, &
quidem de illis quoque afferam tantum ea, quæ ad propo-
situm meum magis utilia videbuntur, relinquendo plenari-
am descriptionem anatomicam eorum illis Autoribus, qui
data

data opera illorum anatomen perfectam dare voluerunt.
Videmus in accuratori anatomia thalamos nervorum opti-
corum, ipsos tertii ventriculi cerebri parietes constituere,
tum nervorum opticorum caudicem eò loci quò invicem
coeunt, ejusdem tertii ventriculi inferiora claudere, seu pe-
ripheriæ partem immediate prope basin infundibuli effor-
mare, ut aqua ad tertium ventriculum affluente perpetuò
madeant, cum nec unica gutta ad infundibulum delabiqueat,
quæ nervos ipsos non ailiuat; horum enim communio præ-
pedit, ne serum è tertio ventriculo in cranii basin effunda-
tur; ad minimum igitur nervi optici in continuo vaporis
balneo fibrarum texturam laxante, jacent & inde semper
madescere debent. Ex hac causa nervi optici molliores
sunt quam ferè omnes alii nervi, ad minimum quam ii, qui
ita humiditatibus expositi non sunt. Verum nervorum o-
pticorum substantia non solum in principio mollis est, sed
quoque in progressu talis deprehenditur; ex iis enim dispe-
ditis ubique materiam medullarem copiose exprimere pos-
sumus, quod fere his nervis proprium. Celeberrimus
RUYSCHIUS & peritissimus quoque Anatomicus Dominus
MERI & cum his recentiores fere omnes afferunt, quod me-
dullaris horum nervorum substantia inclusa sit in cellulis,
verum si studiosius examinatur horum structura, patebit,
quod quilibet medullaris fasciculus nervum opticum com-
ponens investiatur pia matre in tubulum producia, nusquam
vero in cellulas expansa. Tandem substantia medullaris
nervorum opticorum missis suis integumentis in retinam
abit, quæ valde mollis est, atque ab ipsa medulla non nisi
quod haec magis alba sit, differre videtur. Retina dividitur
in portionem medullarem & crystallinam; illa est po-
sterior & ambit humorem vitreum usque ad circumferen-
tiā corporis crystallini, ubi illa dividitur in laminam an-
teriorē & posteriorem, quæ duæ laminæ faciunt cysti-
dem corpus crystallinum concludentem, & nominatur
portio crystallina membranæ retinæ, quia firmior est &
transparentior, quam portio medullaris. Ex quo etiam ap-
paret, quod nervi optici præ reliquis omnibus id singula-
re

re habeant, quod secundum extremitates suas hic loci plane nudi desinant, dum retinam formant, quò èo aptius officio suo fungi possint. Quod necessarium fuerit, ut hi nervi molles fabricarentur, physiologia probat, quam breviter tangam. De functione nervorum, num fiat per vibrationem, aut per influxum liquidi cuiusdam duæ sunt diversæ opinions, quarum unam alii, ali alteram defendunt, verum quod me attinet, nihil obstat credo, quo minus utrumque concurrat & ad idem contribuat: interim tamen vibratio maximè apta esse videtur ad explicanda plurima phænomena sive effectus actionis nervorum. Per istam vibrationem excitatam per quamcunque rem, quæ eam efficere modo valet, nervi impressionem suscepunt ad cerebrum usque portant & nos sentire faciunt. Quibus positis videre est, necesse esse, ut hi nervi molles facili sint, quoniam valde breves sunt; quodsi adeo firmi essent, vibratio nimis celeris fieret, sicut id ab odore fortioris spiritus in nervis olfactoriis fieri videamus, atque impressiones nimis celeriter atque vehementer ad cerebrum delatae istud facile ad convulsiones concitarent, quæ porro multarum perturbationum in œconomia animali causa essent. Fidem faciunt hujus explicationis perceptiones de coloribus, quos minus aut magis vividos apparere pro majori aut minori, qua fibrae nervorum opticorum tremiscunt celeritate, ostensum fuit in Commentariis Academæ scientiarum anni 1699. Quare cum hi nervi continuo humore allabente humescant, effectus illorum moderatior evadit, & ii hoc ipso officio suo melius funguntur.

Quodsi pathologiam consul, ista sententiam meam confirmat, dum per experientias docet, quod pro diverso arteriarum pulsu variaque inde nervorum vibratione, diversi absque ullis aëris externi tremoribus soni percipiuntur, quemadmodum in commotione cerebri, delirio, phrenitide; quod lux nimis fulgida oculos nimis quoque feriat & ita aliquando lœdat, ut homines cœci fiant. Quare si jam nervi optici firmiores essent, ideoque magis vibrati.

bratiles, impossibile esset tum pati lucem, quamvis debili-
lem, sine visus laxione: legatur Cap. 26. & 33. Tractatus
DN. ST. YVES de morbis oculorum, vbi exempla ejusmodi
plura afferuntur. Videamus etiam, quod, quod magis pars
aliqua corporis nostri per inflammationem tenditur atque
elastica sit, eò acutiores dolores in illa à levi causa produ-
cantur, quemadmodum e. g. membranam uream in tali
statu minima lux offendit atque dolores incredibiles creat.
Morbi dolorosi, quales sunt arthritis, podagra &c. magis
personas cholericu[m] atque melancholici temperamenti ex-
cruciant, quam quidem illas, que structæ minus elastici-
cae & minus firme sunt. Jam autem ostendere porrò ani-
mus est, quod disquisitio nervorum opticorum secundum
suas circumstantias speciales in pathologiaz usum cedat,
dum mediante illa specialem causam paralysie nervorum o-
pticorum investigamus. Notum in genere est, quod pa-
ralysis ordinario producatur à relaxatione aut resolutione
nervi, quam nempe sequitur relaxatio partium, in quas
hic vel ille nervus distribuitur; id autem nervis opticis
specialiter atque palmario accidere potest. Omnes An-
atomici confirmant, quod detur humiditas in tertio ventri-
culo cerebri, quam tubuli secretorii ex arteriis nevro-
lymphanticis plexus choroidei oriundi secernunt. Quod-
si jam accedit, ut ista humiditas secernatur in majori copia
nec eadem quantitate a glandula pituitaria excipi queat,
necessario contingit, quod accumulata non comprimat so-
lum principia nervorum opticorum, verum etiam quod
magis est attendendum, ea inundet, humedet, relaxet,
sicque specialiter hos nervos ratione situs paralyse exponat.
Secretionis autem copiosæ plures causæ esse possunt, qua-
rum unam hic tantum allegabo, quoniam ad materiam no-
stram proprius accedit. Nimirum ex praeficorum obser-
vationibus discimus, quod insignis relaxatio partium soli-
darum vel fibrarum vasa constituentium efficiat, ut pro-
pter tonum hinc destruetum humorum aquosorum abun-
dantior secretio fiat, ut in hydrope videre est. Quibus
positis statim intelligimus, quod exhalationes, quæ in o-
mni-

mnibus ventriculis cerebri continuo fiunt, fibras partium vicinarum relaxare & consequenter per eas humorum lymphaticorum accumulationem causari possint. Porro autem paralysis nervorum opticorum sc̄epe infantibus a nativitate est, atque id itidem ab horum nervorum situ & principio dependet, siquidem quoque constat, quod foetus ordinariō plus humiditatis quam adulti habeant, ut illa consequenter non minus in tertio ventriculo cerebri ab iisdem causis & quidem facilius nimis secerni, ac denique paralysi ansam pr̄ebere possit, antequam infans luci exponitur. Similiter constat, quod senes huic paralyſi magis obnoxii sint quam alii, quoniam ordinariō in ventriculis cerebri eorum apertis secundum allatas experientias DN. D. FERREIN, multa humiditas reperitur. Experientia tandem nos certiores facit, quod haec paralysis, si sola invadit, apoplexia præludium esse non soleat, sicut quidem reliquo n̄ervorum paralysis, ut ea e.g. quæ nervos faciei resolvit; ratio autem, cur ea paralyſin generalem non prænunciet, est, quod causa paralysis nervorum opticorum sit humor inclusus in loco particulari, & fieri non possit, ut reliqui nervi inde afficiantur. Quare si nihilominus eodem tempore apoplexia superveniet, certus sum, quod illa non ab hac causa speciali dependeat, verum causa tum alia generalis adsit. Ex dictis patet denique, quare unus sine alio paralyticus raro evadat, ambo enim eodem sero humectantur, licet pro peculiari dispositione unus fortius & citius, alter debilius & tardius affici queat. Quod paralyſin recens natorum infantum attinet, notandum adhuc est, quod aliorum nervorum resolutio connata non observetur; si excipias paralyſin portionis mollis nervorum acousticorum, de qua inferius. Quod si aliter unquam contigerit, existim o saltem in integro seculo unum exemplum proferri posse.

Curam autem hujus paralyſeos quod spectat, nescio an autorum aliquis ejus mentionem fecerit, quoniam de hac causa speciali fortassis non cogitarunt. Interim Dominus ST. YVES Præceptor meus, Vir expertissimus atque

ob

ob felicissimas oculorum affectionum sanationes notissimus, mihi confessus est, quod semper observaverit, quod paralysis, quæ successivè venit, sine dolore, sine conatu vomendi, sine mutatione notabili quoad magnitudinem oculi, sœpius ambos oculos lœdat, aut si unus modo nervus patiatur, alter paulò post quoque corripiatur & morbus semper aut ferè semper incurabilis sit, maximè si infantes aut senes aggreditur, in quibus nempe causa magis foveatur, ut apud Eundem ipse exemplum vidi in foemina 50 annorum. Credo hic concludere licere, quod his sub circumstantiis ingruens paralysis à causa speciali, quam hæc tenus exposui, proveniat, inde enim & morbi historia & ejus incurabilitas intelligitur, quæ in genere de omni paralysi nervi optici prædicari non potest, quoniam aliqua paralysis species datur, quæ ab infarto vasorum sanguineorum, quæ nervos opticos comitantur, oritur, dum vasa hæc tumefacta nervos comprimunt & consequenter paralysin efficiunt, quam autem in initio, nempe primis tribus vel quinque diebus, artis sua peritus tollere potest, sicuti ejus rei plura exempla apud D. N. ST. YVES vidi. Ille autem in quacunque paralysis specie eadem remedia generalia semper adhibere solet, curando ne perfecta evadat.

Hic limites mihi una figo, nec nisi brevibus noto, quod cuncta ferè, quæ hæc tenus dixi, valeant quoque de portione molli nervorum acusticorum. Paucis nota est vera ejus origo, quæ plane diversa ab origine partis durioris nervi acustici; constat enim ex observatis DN. FERREIN in diario Gallico m. Maij an. 1733. allatis, portionem ejusdem nervi molliorem in auditus organum abeuntem ex interioribus ipsius quarti cerebri ventriculi prodire, ut non minus quam nervus opticus fero in ventriculis non raro collecto madeat. Hæc interim diversitas in se content rationem, quare portio mollis paralytica fieri possit, nec portio dura simul afficiatur. In specie quoque notandum, quod hæc portio mollis nervi acustici mollior sit quam nervus opticus atque consequenter paralysi magis

subiecta; unde intelligitur, cur plures surdi sint quam cœci. Relinquo autem hanc materiam dicturus pauca adhuc de complicatione paralysis nervorum opticorum atque acusticorum, quatenus eam experientia confirmavit. Hae duæ species sc̄epe sibi invicem comites junguntur aut succedunt, eadem enim ferè causæ. Paralysis nervorum acusticorum, quæ successiue & sine doloribus ingruit, ferè semper incurabilis, præsertim quando diæta duæ species in uno subjecto combinatæ sunt, ut ex dictis facile colligitur. Quod enim ultimo nervos olfactiorios attinet, paralysis eorum tam frequens, quam paralysis nervorum opticorum atque acusticorum non est; ratio autem ex Anatomia petitur. Interim per alios comporio, quod meliores canes venatici sc̄epe odoratum perdant: anne tum credibile, quod illorum nervi olfactiorii facti fuerint paralytici? ad minimum paralysis ex structura horum nervorum in illis facile intelligitur.

Vides jam, AMICE HONORATISSIME, ea, quæ singularia circa nervos opticos præsertim TIBI communicare volui, his saltem petitionem jingo, ut quæ observaveris olim in hac re, communicare velis, sicuti id me facturum esse TIBI spondeo. Concedas insimul, ut sub finem hujus epistolæ TIBI quæstionem materiæ affinem proponam: an nempe glaucoma cum causa dicta speciali paralysis nervorum opticorum connexionem habeat? Paralysis nervorum opticorum, cui vera cataracta succedit, glaucoma constitutere nonnulli censem. Quodsi super hac quæstione opinionem TUAM mihi dixeris, multum TIBI obstriclus ero.

Has jam litteras ad TE, AMICE SUAVISSIME, das, Halam mitto, quoniam novi TE illuc concessisse, ut Doctoris Medicinæ honores capesseres, quos TIBI faustos eximia TU A doctrina atque eruditio certo spondet omne. Præterquam enim quod plures annos impenderis ad studia medica atque philosophica perficienda, non satis esse credidisti à pluribus eruditis patriæ nostræ edoceri, sub quorum præsidio specimena publica dedisti; sed peregrinari


nari atque exoticas aca-
fuit, ut Celeberrimos n-
T U A plane excoleres.
theoreticè discitur, cu-
quoque descendum fit,
st. Quamobrem plu-
motas, sed tamen prop-
rimas, & frequenti occ-
urbes adiisti. Anne eni-
sio frequentior, quam B
cum ardore autem ibi c-
stis sum quoad ultimus
hic impedivit, quo mi-
ut ea prorsus perficeret
ri videar, AMICE, qui
nostræ exhibutum ipse
CE HONORATISSIME,
bus conatibus TUIS T
honoribus, qui prima
TIBI gratuler, cum vo-
sequantur. Profectò
pere gaudebo, sicubi t
tum videre mihi licere
TE sincerima amicitia

methodo Foubertiana.

III.



IV.



T I B

Parisii, d. 20 Maij,
1738.

nari aquae exordicas academias Germaniae invisere animus
fuit, ut Celeberrimos nostri seculi Viros audiendo studia
TUA plane excoles. In academiis quidem ordinario
theoretice discitur, cum autem in arte nostra practice
quoque discendum sit, theatra atque nocomon intravi-
stii. Quamobrem plures terras partim à patria longè re-
motas, sed tamen proper scientiarum culturam celeberrimas,
& frequenti occasione proficiendi commendabiles
urbes adiissi. Anne enim plura sunt loca, ubi talis occa-
sio frequentior, quam Berolini, Londini & Parisii. Quo-
cum ardore autem ibi quæsiveris hanc utilitatem, ipse te-
tis sum quoad ultimum locum; nulla quippe difficultas
hic impeditivit, quo minus studiis TUIS propositis vacares,
ut ea prorius perficeres. Sufficit dixisse, ne TIBI blandi-
ri videar, AMICE, quod scientie TUE specimina patriæ
nostræ exhibut ipse eas. Permittas adhuc rogo, AMI-
CE HONORATISSIME, ut felices olim successus in omni-
bus conatibus TUIS TIBI apprecer, atque ut de novis
honoribus, qui prima eruditioinis TUE documenta sunt,
TIBI gratuler, cum voto, ut hos mox alii in serie optata
sequantur. Professò, AMICE SVAVISSIME, maximopere
gaudebo, scicubi TE aliquando felicitatibus cumula-
tum videre mihi licet, dum persuasus esse potes, quod
TE sincerissima amicitia colam, quam qui


T I B I

Parisiis, d. 20 Maij,
1738.

deditissimus

J. F. H.

Ad Dissertationem de methodo Toubertiana.



ULB Halle
003 594 297

3






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-297521-p0016-8

DFG



DE
NONNVLLIS SINGVLARIBVS
CIRCA NERVOS OPTICOS

EPISTOLA
QVA
DOMINO
JOHANNI HENRICO KESSELRING

CVM
IN CELEBERRIMA VNUISITATE HALLENSI
PRO DOCTORIS GRADV
DISPVTARET
NOVOS HONORES GRATVLATVR
AMICVS EIUS ET CON TERRANEVS
JOACHIMVS FRIDERICVS HENCKEL.

IMPR. HALAE MDCCXXXVIII.



Wb 3214